



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1764**

**VD18 90118049**

§. 43. Stadingorum clades.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

**Sæcul. XIII.** ac novæ Reginæ solenni ritu coronam  
**A.C. 1234.** imposuit. Aliquanto prius Religiosus vir  
**Vita S. Lud.** quidam falso edoctus, Regem concubinis  
**c. 4.** uti non infcia Regina Blanca matre sua,  
**Ibid. p. 446.** rem ad istam Principem stupens ac ex-  
 probranti similis detulerat. Illa & se &  
 filium innocentem esse cum modestia af-  
 firmabat, hæc addens verba: *Regem fi-  
 lium meum præ cunctis hominibus amo: si  
 tamen ex mortifero morbo decumberet, at-  
 que mihi promissum fieret, eum per unicum  
 cum fœmina peccatum sanitati restitutum iri,  
 eundem mori mallet.* Rex Ludovicus jam  
**c. II. p. 448.** inde a nuptiis suis consentiente Regina  
 uxore secundum veterem Ecclesiæ mo-  
 rem ab usu conjugii se continebat per to-  
 tum tempus Dominico adventui sacrum,  
 totumque jejunium vernum, certis heb-  
 domadis diebus, in pervigiis ac feriis  
 majore religione ac ceremonia celebrari  
 solitis, & biduo triduo ante ac post di-  
 vinum convivium. Matrimonium sane  
 Coelo gratum dignumque, ex quo sex fi-  
 lii, & quinque filiæ prodirent.

## §. XLIII.

*Stadingorum clades.*

**Sup. §. 27.** **In** Germania Stadingis hæreticis stra-  
**Alb. Stad.** gem intulere sacri pugiles, qui hunc in  
**an. 1234.** finem anno priore tesserariæ crucis mi-  
**Hist. Arch.** litiam inierant, & Gerardi II. Archiepisco-  
**Brem. p. 709**



pi Bremensis, Henrici Brabantiae Ducis, ac Florentii Bataviae Comitis imperium auspiciūque sequebantur. Procedebant in aciem die Sabbathi 24 Junii ad subigendos Ecclesiae hostes, vel ad mortem pro ea subeundam inductis animis: contra Stadingi eorum multitudine non territi, sed magis in furorem acti contra Ecclesiasticam potestatem impias voces evomere non cessabant. Comes in eos fortiter invehebatur, Clero interim seorsum sacrarum precum cantibus divinam bonitatem ad tribuendam suis victoriam commovente. Haeretici numero obruti, ac vulneribus confossi equorum pedibus obterebantur, ita ut intra breve temporis spatium sex millia perirent: multos fugientes Visurgis hausit: caeteros victor insequens disperfit, qui suorum decem circiter amiserat. Posthac Stadingi in Dioecesi Bremensi residui a Papa, ut ipsos absolvi juberet, suppliciter postularunt, quod Ecclesiae se submittere ac satisfacere parati essent, profitentes. Ille eos voti damnavit, ut ex ejusdem litteris ad Archiepiscopum & Canonicos Bremenses 21 Augusti an. 1235. scriptis apparet.

Saecul. XIII.  
A. C. 1234.

Privil. arch.  
Hammab.  
p. 197.